Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2017
Quelle:
Copyright:

bati, fortaſſe rectius cum Noſtro omiſeris *ro poſt Paſcha Domini.* Caeterum Codex ob praecedentia, quae complectitur, non exigui pretii eſt.

DCCCXXI.

R 85* Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 134. f. nitidiſſime perſcriptus et rubricis diſtinctus, complectitur I. Opus liturgicum *de eccleſiaſticis Officiis Amalarii*, Scriptoris Sec. IX. quem alii chorepiſcopum *Metenſem*, alii Archiep. *Treverenſem*, quidam neutrum ex his volunt, hic in III. *Libros* tributum, quam ego diviſionem mallem, niſi *Sigebertus Gemblac.* et *Honorius Auguſtodun.* de IV. loquerentur. Eſſet enim Ordini eccleſiaſtico multo conformior, utpote, qui ab *Adventu Domini* orditur, quod nobis *Libri* I. c. 1. eſt, dum in Editis inter *Melch. Hittorpii* Scriptores, *Colon.* 1568. f. et in *Bibl. PP. Lugd.* T. XIV. ad *Libri* III. c. 40. ablegatur. Certe, qui *Capitum Indices* in *Codice* noſtro ſingulis III. *Libris* praefixos expenderet, concluderet, hunc denique legitimum eſſe tractandorum ordinem, *Hittorpium*que turbatis Exemplaribus uſum fuiſſe. Neque vero ego deſcribendis iis *Indicibus* hic paginas faciam, ſummatim tamen dicam: *Libro* I. percurri totum annum eccleſiaſticum ab Adventu Domini ad Litanias majores, *Libro* II. explicari ſacros Ordines et rationem canonicarum Horarum, denique *Libro* III. agi de Templis, Veſtibus Sacerdotum, ipſoque per partes Miſſae Officio, quo nihil concinnius, ſi quidem *Indices* Editorum contra ponas. Initium nobis (Edit. *Lib.* III. c. 40. *Hittorp.* p. 208.) *In antiquis libris miſſalium et lectionarii repperitur ſcriptum ebdomada V. ante natale domini* &c. Finis vero Operis C. 34. *Libri* III. (Edit. c. 8. *Hittorp.* p. 182.) *Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo et in terra.* Textus ſat caſtigatus. Praefationes deſunt.

II. *fol.* 121. p. 2. *Incipit epiſtola alchuinii diaconi ad imper. karolum.* Illa nempe, qua III. illi *de Fide S. Trinitatis Libros* inſcribit. *Domino Glorioſo Carolio* (ſic) *Imperatori* &c. *Dum dignitas imperialis a deo ornata ad nil aliud exaltata eſſe uidetur* &c. Ut edit. *Ratisb.* 1777. T. I. *Vol.* 2. p. 703. f. qua cum contuli, et minus emendatam reperi. Abſunt praeterea tria Diſticha, neque Opuſculum ultra *Librum* I. procedit, etiamſi Scriptor *fol.* 122. p. 2. adſerat, omnes tres ineſſe. Quin etiam *περιοχαι* illa ultima c. ult. *Jam vero ſublimitas hujus* &c. abeſt.

III. *fol.* 128. p. 2. *Incipit omelia euſebii de corpore et ſanguine domini.* Initium: *Magnitudo cęleſtium beneficiorum anguſtias humanę mentis excedit* &c. In *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 636. inſcribitur *Homilia V. de Paſcha.* De *Euſebio* illo *Gallicano* Epiſcopo nildum certi, *Homilias* ei tributas aliis ad *Eucherium Lugd.* aliis ad *Brunonem Aſtenſem*, quin et *Caeſarium Arelat.* referentibus. Praeſens